



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Semicenturia Variarum Resolutionum Moralium Pro Foro Interno, Atque Externo**

**Heislinger, Anton**

**Monachii, 1745**

Casus XXX. De Vicario Parochiæ Monasterio incorporatæ.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40155**



## Casus XXX.

### *De Vicario Parochiæ Monasterio incorporatæ.*

**P**Rælatus quidam Regularis vacanti cuidam incorporatæ suo monasterio Parochiæ Vicarium sæcularem volens constituere, ne suo Monasterio præjudicium quoddam inferat, anxie indagat, num Vicarium perpetuum Ordinario præsentare debeat?

Quæritur: An Prælati aut Abbatissæ teneantur in Parochiis monasterio suo unitis Episcopo perpetuum Vicarium constituere?

#### Synopsis.

##### §. I.

*Afferuntur rationes pro Vicario perpetuo pugnantes.*

1. Facultas constituendi Vicarium temporalem plurimum monasterio prodest.

2. Constituendum perpetuum esse, juxta quosdam probat Textus in cap. unicæ, de capellis Monach. lib. 6.

3. Item Textus in cap. de Monachis: de Præbendis.

4. Item ex cap. extirpandæ. §. qui verò. Cod. Tit.

5. Ex Textu in Clement. quia Regulares: in prima parte: de supplenda negligentia Prælatorum.

6. Consonat textus in Clement. ne in agro; versu certum. de statu Monach.

7. Item Textus in Clement. unica. de officio Vicarii.

##### §. II.

#### Resolvitur Quæsitum.

*An Prælati aut Abbatissæ teneantur in Parochiis Monasterio suo incorporatis perpetuum Vicarium constituere?*

8. Be-

8. Beneficium curatum potest alicui Monasterio, Præbendæ esse unitum variis modis.
9. Si beneficium sit unitum tantum quoad regimen temporale, & quoad titulum, ita ut nullis aliis spiritualibus juribus Prælati utatur, Vicarius perpetuus erit constituendus.
10. Item potest esse unitum monasterio, ut Abbas per se deserviat, vel per suos familiares, aut alios beneficio, ut ipse fructus beneficii percipiat in solidum.
11. In hoc casu poterit constitui Vicarius ad nutum amovibilis.
12. Potest beneficium esse unitum monasterio jure plenissimo.
13. Etiam in hoc casu potest Prælati facere, ut tali beneficio deserviat per Vicarium ad nutum amovibilem.
14. Potest Parochia quoad curam animarum in spiritualibus & temporalibus pleno jure Prælati esse subjecta, quoad jurisdictionem autem spirituales Ordinarij.
15. Etiam tale beneficium per Vicarium ad nutum amovibilem administrari poterit.
16. Si beneficium sit unitum Monasterio cum clausula, ut possit deserviri per Vicarium ad nutum amovibilem, hæc forma unionis erit simpliciter observanda.
17. Quando beneficium est unitum Monasterio Mendicantium aut Monachorum, per Monachum, aut Fratrem ei deserviri poterit.
18. Talium temporalium Vicariorum nominatio ad Prælatum monasterii, cui beneficium est unitum, pertinet, examen tamen & approbatio ad Episcopum.
19. & 20. Ex quonam fundamento probari possit, quomodo beneficium sit monasterio unitum.

§. III.

*Satisfit rationibus oppositis.*

21. Cap. unicum, de capellis Monach. solum asserit, præsentatum & ab Ordinario institutum non posse ad nutum amoveri,

R r 3

22. In

22. In cap. de Monachis, de Præbendis, de congrua Vicario assignanda solum sermonem haberi.

23. Cap. extirpandæ. §. qui verò non loquitur de beneficii unione ad mensam, & in spiritualibus.

24. In Clement. quia Regulares de supplenda negligentia Prælatorum partim est sermo de beneficio ad mensam non unito, partim traditur nostra sententia.

25. Textus in Clement. ne in agro: versu certum: de statu Monachorum, 4. loquitur indifferenter & per modum transeuntis tantum.

26. Textus in Clement. unica de officio Vicarii loquitur de Vicario perpetuo.

§. IV.

*Refutantur, quæ ex Tridentino contra nostram sententiam adducuntur.*

27. Videntur nobis obstare, quæ Tridentinum Sess. 7. c. 7. de Reformat. affert.

28. Sed non obstant, quia non

exprimitur modus, quo illæ Parochiæ sint unitæ Monasterio.

29. Favet etiam nobis Joannes Gallemart in Sess. 7. c. 7. de declaratione.

§. I.

*Afferuntur rationes pro Vicario perpetuo facientes.*

**Q**UOD plurimum Prælati, Abbatis, aut Monasterio interfit, si temporalem Vicarium pro Parochia Monasterio unita deputare possint, & ad perpetuum constituendum ne utique sint obligati, ex eo colligitur, quod temporali Vicario constituto Præsul Monasterii plus juris in Parochia habeat, quam si perperuus Vicarius sit constitutus: Ratio hujus est, quod juxta Laymanum in lib. 1. Decretal. tit. 10. c. 2. n. 20. versu exinde: temporalis Vicarius nullum jus, seu titulum habeat, & omne jus Parochiæ sit penes Rectorem principalem; perpetuus autem Vicarius jus ac titulum in Parochia obtineat; ex quo infertur, curam talis vicariæ Parochiæ per-

pertinere quidem tum ad Abbatem tum ad Vicarium perpetuum; sed quia Vicarius perpetuus jus seu titulum beneficii in Parochia, uti diximus, obtinet, hoc autem jus sit indivisibile, prout docet Hostiensis in *summa de filiis Presbyterorum. §. qui filii Presbyterorum. ex cap. Monach. 12. eod. tit. c. 4. causâ 21. quæst. 1.* ideo ad hunc utrumque hoc jus quidem pertinet, sed diversimodè, ad unum quidem in actu; ad principalem verò in habitu, ex quo sequitur, Vicarium ab Episcopo institutum, & intitulum parùm dependere à Rectore principali in spiritualibus, cum ipsius Parochiæ cura sit Vicario attributa.

2. Pro parte affirmativa faciunt. Primò Textus in *cap. unicæ. de capell. Monach. lib. 6.* in hoc loco Monachi habentes beneficia parochialia annexa, tenentur præsentare Vicarium Episcopo, & ipse debet instituere eum, & post institutionem non potest ab ipsis Monachis removeri, etiam contraria consuetudine non obstante: ergo tenentur Vicarium perpetuum nominare.

Secundò. Textus in *cap. de 3 Monachis, de Præbendis.*

Tertiò. *Cap. extirpendæ. §. qui 4 verò. eod. tit.* ubi probatur, quando beneficium est unitum alicui Præbendæ, teneri præbendam deputare Vicarium perpetuum ad ejus servitium cum congrua ac sufficienti assignatione.

Quartò. Textus in *Clement. §. 5* quia Regulares. in prima parte. de supplend. neglig. Prælat. juxta hunc in Vicariis, vel beneficiorum unitorum Monasteriis cadunt in Episcopum, collatio, institutio, & devolutio ob negligentiam: sed hæc omnia pertinent ad perpetuitatem Vicarii: ergo. Prob. min. hoc modo, Vicaria beneficii est beneficium, sed si est beneficium, Vicariatus est perpetuus: ergo Vicariatus est perpetuus. Prob. maj. sola beneficia ob negligentiam commissam devolvuntur ad Superiorem: ergo si hæc devolvuntur, erunt vera beneficia, consequenter Vicarius erit perpetuus, nec ad nutum amovibilis.

Quintò. Textus in *Clement. 6* *ne in agro. versu. certum: de statu Monach.* vi hujus in Prioratibus, Mo.

Monasteriis unitis debet poni Rector, aut Vicarius, qui collationem ab Episcopo debet sumere, & debet esse 24. annorum, & ordinari intra annum: quemadmodum obtinens aliud beneficium Parochiale: collationem ab Episcopo debet sumere, esse viginti quatuor annorum, & ordinari intra annum: sed hæc omnia denotant Vicarium perpetuum: ergo &c.

Sextò. Textus in Clement. unica: de officio Vicarii: ubi æquiparatur Vicaria beneficio curato, quod denotat esse quid perpetuum: aliàs nullam incompatibilitatem induceret.

## §. II.

## Resolvitur Quæsitum.

*An Prælati aut Abbatissæ teneantur in Parochiis, suo Monasterio unitis perpetuum Vicarium constituere?*

8 **U**T hæc difficultas solvatur, prænotandum, beneficium curatum posse alicui Monasterio, Præbendæ, aut Prælaturæ esse unitum diversis modis,

Primò quoad regimen temporale tantum, & quoad titulum; in quantum ipsum Monasterium habet titulum, & perpetuum jus annexum gubernandi, & dictum beneficium, & ejus bona tantum administrat, ita, ut tunc nullis aliis spiritualibus juribus utatur supposita hac unione.

Dicimus I. Monasterium, 9 Prælatum, aut Abbatissam, obligatum esse ad constituendum Vicarium perpetuum. Probat. Conclusio ex cap. extirpanda. §. quia verò de præbendis. idem notant Abbas. Franc. Joan. Andre. Ancharan. Domin. Abbas & Immola in cap. de Monachis. de Præbendis. Resolut. in praxi Beneficii. lib. 1. tit. de union. à n. 6. Alph. Hoced. in tract. de incompatibilitate beneficiorum p. 1. cap. 15. n. 3.

Prob. Concl. Talis Abbas habet fermè nihil juris tam circa personam Vicarii, quàm circa curam populi: nec sine consensu Episcopi loci, cui populus est subjectus, aut instituere, aut destituere Vicarium Presbyterum potest: ergo irrequisito Ordinario nec instituere, nec destituere poterit Vicarium Presbyterum. Prob. conseq. institutio,

ac

ac revocatio supponunt aliquod jus in constitutum & revocatum: ergo si nullum habet tale jus, non poterit illum sine consensu Ordinarii instituere, vel destituere.

Confirmat. ex constit. Innocentii III, in Lateranesi edita, cap. 61. quæ constituit, ut Religiosi in Ecclesiis parochialibus, quæ ad ipsos pleno jure non pertinent, Presbyteros, seu Vicarios Episcopis instituendos præsentent, qui eisdem Episcopis circa curam plebis respondere debent. Rationem verò administrationis in rebus temporalibus ipsis Rectoribus, sive Prælati Monasterii reddere debent, institutos verò Presbyteros, seu Vicarios, remove Episcopis inconsultis non audeant. Idem habetur in cap. 3. §. in Ecclesiis. de Privilegiis. ergo tales institutiones & destitutiones in ejusmodi Ecclesiis spectant ad Ordinarios, quando non pleno jure sunt subiectæ Prælato aut Monasterio.

Secundò, beneficium potest esse unitum mensæ Abbatis, aut Monasterii, aut Prælati, ita ut Abbas, aut Prælati deserviat beneficio per se, aut per suos familiares, vel alios, & ipse petci-

piat fructus beneficii in solidum, & solvat stipendia pro suo libitu servientibus.

Dico 2. Prælati potest con-<sup>10</sup>stituere Vicarium ad nutum amovibilem. ita ut nunc beneficio possit facere deserviri per Vicarium ad nutum amovibilem. Ita Glossa in Clement. 1. verbo ad mensam. & in Clement. 3. de supplenda negligentia Prælatorum, quam sequitur Immola. Carde. & alii per Franc. & Anchar. & Domin. in dictum cap. unicum per Abbatem, & Immolam in dict. cap. Monachis. & per Rebuff. in dict. §. quia verò notab. 5. concl. 2. fol. 377. Rota in tit. de excessu Prælatorum. dec. 2. aliàs 273. in novis. Aloysius Riccius in praxi variar. Resolut. tom. 1 p. 2. Resol. 93. fol. 434. Prob. in tali casu censetur beneficium unitum in spiritualibus, ita ut Prælati sit verus Rector, & beneficium nunquam vacet: ergo potest Prælati, vel Abbatisa beneficio deservire per Vicarium ad nutum amovibilem.

Tertiò. Potest beneficium esse unitum Monasterio unitum plenissimo jure, quod tunc contingit, quando Prælato competit om-

S f nimo-

nimoda jurisdictio spiritualis in beneficio, & hujus Parochianis, ita ut Ordinarius ex toto sit exclusus, in hoc casu.

<sup>12</sup> Dico 3. Possè Prælatus facere, ut tali beneficio deserviat per Vicarium temporalem & ad nutum amovibilem. Ita habet Glossa in dictam Clement. 1. verbo ad mensam de excessibus Prælatorum. & per Franc. & Anch. in dict. cap. unicum de capellis Monach. & auctores omnes supra cit. ita ut hæc sit communis opinio; & tenetur ab Abbate in cap. postoralis de privileg. Layman, in cap. 2. n. 7. de supplenda negligentia Prælatorum. Pyrhing de præbendis, n. 217. Prob. ejusmodi Abbates habent tum in Ecclesia, tum in ipso populo jurisdictionem Episcopalem, vel quasi, & hinc plenissimam: ergo independentè à consensu Ordinarii possunt in talibus beneficiis instituere, ac destituere suos non perpetuos Vicarios. Prob. consequ. anteced. enim constat, cum populus ponatur nulli alii Ordinario esse subjectus. consequ. probatur. si tales Abbates cum consensu tantùm Ordinarii, & non independentè ab isto, possent

constituere suos Vicarios, tunc hoc ipso non haberent plenissimum jus, nec ipse Ordinarius foret ex toto exclusus: atqui ponitur Ordinarius ex toto exclusus: ergo independentè à consensu Ordinarii poterunt Vicarium constituere.

Confirm. ex cap. quoniam, 21. de privileg. hinc enim Glossa magna in not. ait: Ecclesia parochialis tunc subjecta est Abbati utroque jure (sive plenissimo) quando Episcopus nullum jus in ea exercet: atqui exerceret aliquod jus, si cum illius consensu tantùm Vicarius perpetuus, vel temporaneus ab Abbate posset constitui: ergo &c.

Quartò. Potest beneficium<sup>13</sup> parochiale Monasterio esse unitum pleno jure, quoad curam animarum, & quoad ea, quæ ad curam pertinent in spiritualibus, & temporalibus: ita tamen, ut quoad jurisdictionem Episcopalem non ipsi Prælato, sed Ordinario sit subjecta. In hoc supposito.

Dico 4. Tale beneficium<sup>14</sup> possè administrari per Vicarium ad nutum amovibilem. Ita docet Aloysius Riccius in praxi va-

ria

riarum resolutionum tom. 1. part. 2. Resol. 292. fol. 434. secutus Immolam in dictum cap. de Monachis n. 6. de Præbendis. Prob. et si populus Abbati vel Monasterio non sit subiectus quoad jurisdictionem, potest tamen Abbas esse verus Rector habitualis, aut actualis ejusmodi Parochiæ: ergo potest constituere Vicarium, ad nutum amovibilem. Probant: jurisdictio Episcopalis, quæ est jus visitandi, excommunicandi, & jus dicendi non est curæ Parochiali necessaria, sed suprâ istam: ergo sine jurisdictione Episcopali potest Abbas habere curam. antec. constat, cum videamus, dari Parochos & veros curatos; quin habeant potestatem visitandi, excommunicandi, jus dicendi: ergo illa jurisdictio Episcopalis est extra curam, & sine illa potest esse aliquis verus Parochus, & Rector, & hinc gaudere fructibus talis beneficii, consequenter tam in temporalibus, quàm in spiritualibus regere talem Parochiam. Subsuno: sed si est verus Rector, tunc potest in beneficio deservire vel per se, vel per Vicarium ad nutum suum amovibilem.

Confirm. Talis unio est similis unioni ad mensam Abbatis vel Monasterii: ergo sicut in hoc casu Vicarius ad nutum amovibilis potest constitui, ita etiam poterit in altero.

Dico 5. Quando beneficium est Monasterio unitum, cum clausula, ut possit deserviri per Vicarium ad nutum amovibilem, servanda est forma unionis, quomodocunque beneficium sit unitum. Ita docent Auctores suprâ citati. Constat ex Glossa, & Franc. in d. cap. unicum. de capellis Monach. lib. 6. Franc. Pavi. in tract. de visit. part. 1 q. 6. n. 43. Aloysius Riccius n. 4. ad finem loco cit.

Dico 6. Quando beneficium curatum est unitum Monasterio Mendicantium, aut Monachorum Regularium, potest Prælati ei servire per Monachum aut Fratrem ad nutum amovibilem. Ita suprâ citati sentiunt Riccius num. 5. Prob. ex dispositione Pii V. Summi Pontificis, & apparet ex ejus proprio motu, quod est in libro collectionis Bullarum & motuum fol. 558.

Dico 7. Nominationem talium ad nutum amovibilium Vi-

cariorum ad Prælatum, vel ad Abbatissam Monasterii, cui beneficium incorporatum est, pertinere, ita ut Episcopus solum debeat admittere, & approbare licentiam administrandi Sacramenta, si Vicarius idoneus fuerit inventus, quem potest examinare, ita ut nulla alia collatio, aut institutio requiratur. Prob. concl. ex declaratione per sacrâ Congregationem Illustrissimorum Cardinalium, Interpretum sacri Concilii Tridentini, ut Riccius num. 5. citato affirmat, se vidisse in publico instrumento, missò Romam. Colligitur etiam ex Abbate & Immola, ubi supra, & ex Franc. cap. unico, & ex *textu in d. Clement. 1. de supplenda neglig. Prælat.* debent enim examinari, & approbari ab Episcopo, nisi Abbas habeat jurisdictionem Episcopalem.

- 18 His ita statutis & ratione, & auctoritate confirmatis, superest, ex quo fundamento probari possit, quòd Parochia sit Monasterio unita plenissimè, plenè, aut quoad temporalia duntaxat. Ad hæc
- 19 Respondemus I. Unionem Parochiæ cum Monasterio so-

lùm ad titulum, & ad temporalia probari vel ex verbis unionis, vel ex longo casu deserviendi per Vicarios perpetuos, ita Rebuff. Immola. Riccius, & apud hunc alii, addimus cum Riccio, in dubio, qualiter Parochia sit unita Monasterio, præsumi hac ratione esse unitam, ut minùs, quàm sit possibile, beneficio præjudicetur. Ita Immola.

Riccus, item Laym. ad finem in cap. 2. de supplenda negligentia Prælatorum, ubi dicit, inspiciendas esse literas unionis, & quidnam eousque observatum fuerit, quia status Ecclesiæ non facilè mutari debet.

Resp. 2. Unionem beneficii ad mensam probari, tum ex verbis unionis, tum etiam ex modo & consuetudine deserviendi, quæ debet esse vel immemorialis, vel exhibitò titulò unionis quadragenariæ: ut per Rebuff. & alios ubi supra. Ancharan. *consil.* 162. Oldradus *conf.* 296. Felinus à *conf.* 2. Mascardus in *tract. de probat. lib. 1. conclus.* 179. & *lib. 3. conclus.* 1413. n. 11. Bocr. *Dec.* 345. n. 3. l. *cit.* His itaque sufficienter, ut judicamus, probatis ad ea, quæ sententiæ oppositæ fave-

favere videri possunt, & ab initio allatæ fuerunt, dissolvenda progredimur.

§. III.

*Satisfit rationibus oppositis.*

20 **R**espondemus, & ad 5. quidem, scilicet *ad cap. unicum. de capellis Monach. in 6.* respondemus, inquam, istud loqui de casu, quo Vicaria conferuntur per præsentationem Monachorum, & Ordinarii institutionem, in hoc scilicet casu citatum Capitulum disponit, ut Vicarius perpetuus constituatur, eò quòd institutio instar collationis matrimonium spirituale, in se perpetuum denotet; ita Author: Domin Joan. Andr. & Franc. *in c. 1. de Reg. Juris in 6.* Bellarmin. *decis 700.* Riccius *n. 5.* in hoc itaque Capitulo asseritur, quòd Vicarius à Monachis præsentatus, & ab Ordinario institutus, non possit ad nutum amoveri, licet à Monachis in hunc finem consuetudo aut statutum prætendantur, nisi his confirmatio, aut Papæ privilegium accesserint. Ita Glossa ibi

verbo consuetudine, quam omnes sequuntur.

Ad Textum *ex cap. de Monachis. de Præbendis.* reponitur, quòd ibidem sermo sit de congrua Vicario assignanda, non autem de ipsius Vicarii nominatione: item, quòd officium Monachorum sit nominare, Episcopi autem instituire: item declarat modum unionis.

Ad cap. *Extirpanda. §. qui ve.* 22 rò respondemus, illud non loqui de unione beneficii ad mensam & in spiritualibus, & in temporalibus, & hoc juxta declarationem omnium in illud Capitulum. Verba ibi sunt: *qui verò Parochialem habet Ecclesiam, non per Vicarium, sed per se ipsum illi deserviat in ordine, quem ipsius Ecclesie cura requirit, nisi fortè dignitati vel præbenda parochialis Ecclesia sit annexa &c.* atqui tales parochie non sunt quoad mensam unitæ tam in spiritualibus, quàm in temporalibus.

Ad Textum in Clement. *quia* 23 *Regulares, de supplenda negligentia Prælatorum.* reponimus, quòd in prima parte sit sermo de beneficio non unito ad mensam, & administrari consuevit per Re-

ctores perpetuos cum collatione & institutione : in secunda verò parte favet Clementina citata nostræ sententiæ.

24 Ad Textum in Clement. *ne in agro. versu. certum. de statu Monachorum* dicimus, illud ad præsentem casum minimè facere: quia in quantum loquitur de Vicariis, incidenter tantum loquitur, & per modum transeuntis, neque declarat, an sint perpetui, aut ad nutum amovibiles: nec an sint curati, nec ne. Item loquitur indifferenter de prioribus habentibus solum nudam commissionem.

25 Ad Textum in Clement. unica de officio Vicarii dicimus, illud loqui de Vicario perpetuo, & tunc æquiparari vero, & propriè tali Vicario curato, & non loquitur de Vicario ad nutum amovibili: ergo nil probat contra nos.

§. IV.

*Refutantur, quæ ex Tridentino contra nostram sententiam adducuntur.*

26 **U**ltra hæcenus allata argumenta contra nostram

sententiam affert Pyrrhing *de Præbendis & dignit. n. 218.* Concilium Trident. Sess. 7. c. 7. de Reformatione, ubi datur facultas Episcopis ponendi in Ecclesiis seu beneficiis curatis, perpetuò unitis Ecclesiæ Cathedrali, vel Collegiata, Monasterio, vel piis locis idoneos Vicarios etiam perpetuos, nisi ipsis Ordinariis pro bono Ecclesiarum regimine aliter expedire videbitur: ergo in Parochia, quoad temporalia & spiritualia Monasterio unita potest perpetuus Vicarius constitui.

Hoc totum confirmat idem<sup>27</sup> Pyrrhing ex declaratione Cardinalium apud Joannem Gallermart: *ibidem n. 4.* Garzia *p. 11. de beneficiis c. 2. n. 4.* Barbosa *de offic. Episcop. allegat. 72. n. 190.* Atqui ista prælaudatus Pyrrhing dicit procedere, etiam si antea semper Vicarium temporalem, seu secundum voluntatē Prælati Ecclesiæ vel Monasterii amovibilem habuerit, nisi in literis unionis à Sede Apostolica factæ post Concilium Tridentinū expressum sit, quòd Parochia per Vicarium temporalem administrari debeat, Laym. *in cap. 2. num.*

num. 8. de supplenda negligentia Prælatorum. & in q. q. Canonici de Elect. Prælat. q. 207.

28 Sed respondetur, in cit. Tridentini loco sermonem tantummodo haberi de Parochiis unitis, quin exprimat modus, quo sint unitæ, num in temporalibus duntaxat, an tam in spiritualibus, quàm in temporalibus: ergo ex illo loco non poterit probari, quòd Parochiæ tam in temporalibus, quàm in spiritualibus Monasterio unitæ debeat deserviri per Vicarium perpetuum.

Secundò, ipse Pyrrhing limitat suum assertum, & excipit Parochias, si in literis unionis ejusmodi Parochiæ à Sede Apostolica factæ post Concilium Tridentinum expressum sit, quòd Parochia per Vicarium temporalem administrari debeat: ergo saltem poterit Vicarius temporalis constitui in hoc casu. 2. dò Si hætenus post Tridentinum constanter talis Vicarius fuerit constitutus, tunc vel potest supponi, quòd in literis unionis fuerit hoc introductum, vel saltem, quòd legitima præscriptione huic Tridentinæ dispositiõni fuerit de-

rogatum, aut istud, quoad hoc punctum non fuerit unquam receptum, quòd ipse Pyrrhing locò citatò agnoscit; dum asserit, in constituendo Vicario attendendum esse, quid antea in tali Parochia fuerit consuetum, eò quòd status Ecclesiæ non faciliè mutandus sit. arg. cap. 2. de supplenda neglig. Prælatorum.

Accedit his omnibus, quòd ipse<sup>29</sup> pro opposita nobis sententiã citat<sup>9</sup> Gallemart. *In Sess. 7. c. 7. de reformat.* asserat. In Monasteriis ab ipsorum primæva fundatione curatis non posse deputari Vicarios istos ( id est perpetuos ) sed servandum esse caput undecimum Sessionis vigesimæ quintæ de Regularibus, quòd exercentes curam sint ab ipso Ordinario approbati; secus si Parochiales non essent Monasteriis unitæ, eo enim casu possent deputari tales ( id est perpetui ) Vicarii; sed Monasterium esse curatum est idem, ac Parochiam eisdem esse tam in temporalibus, quàm in sæcularibus subjectam, ita ut Abbas Monasterii Rectorem Parochiæ agat: ergo tunc non erit constituendus Vicarius perpetuus.

Ca-